


Habent insuper XII. signa Zodiaci tertiam partem, quatuor scilicet signa, trinum facientia aspectum, qui ita dictus, quod tertiam partem amplectatur, quem triangulo æquilatèro ita Δ notarunt, qui in circulo positus, quatuor signa in latus quodlibet allumit.



Habent demum XII. signa Zodiaci etiam secundam partem, siue medietatem, sex scilicet signa: cuius quia extrema per diametrum opponuntur, oppositio ea, seu oppositus aspectus nominata est, quam duobus orbibus oppositis uoluerunt notare, sic ♈. Eam ob rem coniunctionem etiam unico orbe cum diametro placuit scribere, sic ♌. Ut duorum orbium in eadem linea recta coitio significaretur.

Porrò cum XII. signa Zodiaci non habeant alias partes, præterquam enumeratas, non erunt ideo plures aspectus, prædictis. Distantia namque quinque signorum, non est aspectus, quia quinque non sunt pars aliquota ex duodecim, nec distantia per unum signum, quia unum non est numerus, sed numeri principium, quare unum non proprie dicitur pars duodecima, cum sit potius principium partis, & hoc magis quia omnem numerum mensurat, nec mensuratione tamen numerum à numero distinguit.

Verum motum Solis, Lunæ, & quinque planetarum, capitibus, caudisque draconis Lunæ, ad meridiem cuiusvis diei inuenire. Canon III.



Ware numerum diei propositi in numeris dierum mensis tui, & hoc in primo ordine numerorum ad sinistram, & è regione illius numeri tui diei uersus dextram in columnula sub caractere tui planetæ, cuius uerum locum quæris, descende usque ad diem propositum, nam ibidem du